



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 58. Epistolæ ad Acacium & Zenonem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V. lum patuit. Is enim ad Papam scripse-  
A. C. 483. rat, ut, si ad Sacram Sedem verterentur, ipsos non audiret, imo & a conspectu arceret, & nihilominus eundem Joannem, toties condemnatum, miserat Tyrum, ut eam Ecclesiam regeret.

*Theopha.*

*Zen. an. 12.*

*p. 113.*

*Evagr. III.*

*hist. c. 38.*

Cum igitur Felici Papæ constaret, Epistolas Antecessoris sui non modo nihil profuisse, sed Acacium Disciplina Ecclesiasticæ etiam illudere, in Ecclesia S. Petri coacta Synodo, Vitalem Episcopum Truentinum in Piceno, Misenum Episcopum Cumanum in Campania, & Felicem Ecclesiæ Romanæ Defensorem, delegit, & cum mandatis Constantino-  
 polim misit; erant autem mandata hujusmodi. Petrus Mongus Cathedra Alexandrina ejiciatur. Acacius ad articulos Libelli, quem Joannes Talaja SS. Pontifici contra ipsum tradidisset, respondeat. Eidem Joanni nomine Papæ præcipiatur, ut Petro Mongo anathema dicat. Legatis suis Papa duas præterea Epistolas ferendas commisit, unam ad Acacium, ad Imperatorem Zenonem alteram.

§. LVIII.

*Epistolæ ad Acacium, & Zenonem.*

*Felix ep. 1.*  
*to. 4. Cont.*  
*p. 1049.*

**I**n Epistola ad Acacium SS. Pontifex queritur, quod ex composito de Causa Ecclesiæ



clesiae Alexandrinae & pertinaciter taceat, Sæculum V.  
A. C. 483.  
 postquam per Epistolas Simplicii Papæ  
 toties rogatus fuisset, ut mentem suam  
 aperiret. *Tui officii erat, inquit, Impe-  
 ratori omnia ea mandata in memoriam  
 reducere, quæ contra Petrum Alexandri-  
 num, & pro Timotheo Catholico edidit,  
 idque multo magis, quod, ut ea faceret  
 Imperator, te ipsum, ita enim ad nos scri-  
 psisti, hortatorem habuerit. Omnem co-  
 natum adhibere debebas, ut Imperatorem  
 probiberes, Hæresin erigere, quam deje-  
 cerat, ne te ipsum impii in eam favoris  
 suspectum redderes; neminem enim latet,  
 quantum in animum Principis valeas.  
 An mente tua excidit, Frater mi! quam  
 acriter in Tyrannum Hæreticum pugna-  
 veris (nempe in Basiliscum) an mercedem,  
 quam tibi optimus Deus daturus erat, per-  
 ditam vis? non te movet, quod oves Do-  
 mini lacerentur? an more Mercenarii fu-  
 gere cogitas? aut potius, cum nihil sit,  
 quod timeas, quomodo suspicionem effu-  
 gies, gregem tuum a suo Pastore prodi?  
 Nihil timeamus Ecclesiae, quam Iesus  
 Christus conservandam promisit, sed pro-  
 prium nostrum interitum metuamus, si  
 furentem tempestate gubernaculum abjici-  
 mus. Proinde moneo, suadeo, & exhor-  
 tor, ut emendes præterita, & non feras,  
 ut tota Ecclesia denuo ob eorum auda-  
 ciam periclitetur, qui in Concilium au-  
 dent*



Sæculum V. *dent insurgere. Memento, Deum in Die*  
A. C. 483. *judicii rationem a nobis exacturum, an*  
*Ecclesiam in eo statu, in quo illam a Pa-*  
*tribus nostris accepimus, salvam præstite-*  
*rimus. Se ipsum a Matris suæ Commu-*  
*nione separat, qui in periculo versantem*  
*destituit. Quia vero sinistra de te opi-*  
*nio nobis non est, instantissime hortamur,*  
*ut deinceps omnia ea amoveas, quæ a-*  
*liorum mentibus suspicionem possent in-*  
*gerere.*

*Ep. 2. p. 1053* In Epistola ad Imperatorem Felix  
 initio Benevolentiam captat, dicens, vi-  
 ros se misisse, qui suam Ordinationem  
 ei notam facerent, & prima suo nomine  
 obsequia Principi exhiberent. Queritur  
 deinde, quod Imperator ad litteras  
 Antecessoris sui, de Pace Ecclesiæ Ale-  
 xandrinæ agentes, nihil responderit, at-  
 que a Confessione S. Petri, seu quod i-  
 dem esset, a Fide universalis Ecclesiæ  
 deficere velle videatur. *Memento, in-*  
*quit, quid hostes tuos prostraverit, & ti-*  
*bi denuo ad solium aperuerit viam. Ipsi,*  
*dum Concilium Calcedonense, & Scripta*  
*Beati Leonis laceffunt, ceciderunt, tu ve-*  
*ro, dum eorum errores damnasti, ad ter-*  
*reni Imperii culmen ascendisti. Nemo*  
*jam in orbe terrarum super, qui Nomen*  
*Imperatoris gerat. Deum tibi placatum*  
*habere satage, cave indignationem Omni-*  
*potentis*

Epistola ad  
 Imperato-  
 rem.



potentis incurras! hoc a te rogo, & per <sup>Sæculum V.</sup>  
 omnia obtestor! Marciani, & Leonis, A. C. 483.  
 Augusta Memoria, Antecessorum tuorum,  
 Exempla inspice, sequere Fidem eorum,  
 quorum optimo jure Successor es. Seque-  
 re Fidem, quam ipsemet es professus. In  
 Regiæ tuæ Tabulario inquire jube, quæ  
 Antecessori meo scripsisti, cum secundo  
 Imperium auspicias es. Nullus nisi de  
 conservanda Auctoritate Concilii Calce-  
 donensis, & revocando Timotheo Catholi-  
 co sermo. Inquirantur ea, quæ ad eun-  
 dem scripsisti, cum ipsi tanquam Legitimo  
 Episcopo reditum ad Ecclesiam Alexan-  
 drinam gratulatus es: unde sequitur, Pe-  
 trum tunc expulsam, Anti-Episcopum  
 fuisse, & Hæresis Sectatorem. An non  
 tu ille ipse es, qui, datis litteris, omnibus  
 Episcopis, & Clericis Ægypti gravissi-  
 mas pœnas minabaris, & nisi intra Bime-  
 stre ad Timothei Communionem redirent,  
 deponendos esse, & tota Ægypto proscri-  
 bendos. Tu es, qui jussisti, ut omnes a  
 Petro, vel a Timotheo Hæretico, tunc jam  
 mortuo, ordinati, ad Communionem Ti-  
 mothei Catholici reciperentur, si intra  
 præscriptum tempus pœnitentes reverte-  
 rentur. Tu volebas, ut Causa Petri un-  
 quam novo examini subjiceretur. Tu  
 sententia nunquam revocanda pronuncia-  
 sti, non concessurum te, ut, si Timotheus  
 fatis fungeretur, ei daretur Successor, qui



Sæculum V. A. C. 438. *non ex Clericis Catholicis, aut a Catholicis ordinatus esset. Qua ergo ratione ferre potes, ut Jesu Christi ovile bodie ille lupus infestet, quem olim ipse abegisti? Et inferius: An non ille est, qui annis abhinc triginta, ab Ecclesia Catholica deficiens, ejus hostes secutus, Hæresin docet, nunquam non fundendi humani sanguinis avidus. Denique sicut Dei Gratia Rempubicam a Tyranno Hæretico liberavit, ita tu Ecclesiam ab iis, qui Hæresis venenum spargunt, purga, & fac, ut S. Marci Sedes S. Petri Ecclesie reconcilietur. (\*)* Hæ fuerunt Epistola, quas Felix Papa Episcopis Vitali, & Miseno Legatis suis Constantino-polim ferendas tradidit.

*FINIS TOMI VI.*



INDEX

(\*) Quis non in hac Epistola veras Communitatis omnium Christianorum Patris Notas videret?